

MAX AB EBENSTEIN MILES.



**M**ax ex nobili familia Ebensteiniorum natus, atq; honestè educatus fuit. Is quamprimum per ætatem fieri potuit, militaria studia elegit, atq; Caroli Cæfaris castra per Italiam secutus fuit. Ibi cum multa suæ fortitudinis documenta ædidisset, tandem peditum legionem duxit, & res sibi commissas magna dexteritate expediuit. In primis ue- rò contra Turcas in Vngaria feliciter decertauit, atq; Ferdinando regi gratissimus extitit. Cum hoc modò Lancigeris magna gloria diu præfuisset, tandem anno circiter 1541 in Vngarica expeditiōe de- cessit, atq; omnibus magnum sui desiderium reli- quit. Georg. Rhod. equitum Magist.